ROBERTI
DE SARNO
DISSERTATIONES DUÆ

A

Digitized by Google

Digitized by Google

ROBERTI
DE SARNO
DISSERTATIONES DUÆ

IN QUARUM PRIMA

COMMENTUM ARISTÆÆ
DE
LXX. INTERPRETIBUS
CONFUTATUR

IN ALTERA VERO AGITUR

DE HÆRESI
PRÆDESTINATIANA

ROMÆ MDCCLVIII

EX TYPOGRAPHIO PALLADIS

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI

PUBLICA AUCTORITATE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

SUPERIORIBUS diebus, quum ab Viro docto, noſtrique amantiſſimo binas haſce Diſſertationes dono accepiſſem, facturum me operæ pretium duxi, ſi eas continuo in manus hominum emitterem. Audiebam enim, eas tum propter vim ac copiam argumentorum, tum vero etiam propter varietatem rerum, & ſtyli elegantiam ab eruditiſſimo quoque mirifice celebrari. Tu itaque fruere aureolo libello, ſtudium noſtrum adproba, & vale.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriarch. Conſt. Viceſg.

IN obſequentis animi monumentum erga Reverendiſſimum P. Sacri Palatii Magiſtrum unam vel alteram Roberti de Sarno Diſſertationem; in quarum prima Commentum Ariſtææ de LXX. Interpretibus confutatur; in altera vero de Hæreſi agitur Prædeſtinatiana; diligenter cenſui, ac jucundiſſime perpendi; nil penitus in iis peccatum eſt neque inquam in Fidem Catholicam, neque in mores: quumque puriori omnigenaque ſacrarum rerum notitia firmentur, atque SS. PP. Oraculis, ſecretiorumque Scriptorum aſſertionibus ita muniantur, ac ſplendeant, ut cum Hieronymo ad Nepotianum in hiſce elucubrandis, non pro ætate luſiſſe Auctorem, ſed quaſi cano jam capite, & atrata rugis fronte ſcripſiſſe merito dici queat, hinc Typis evulgari poſſe idoneum ſtatuo.

Dabam Romæ in Ædibus S. Andreæ de Valle non. Jul. a Virginis partu 1758.

Paſchalis M. Maſtrilli Cl. R. Sac. Can. Profeſſ. nec non in Urbe Cleri Apoſt. Examinat.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Reverendiſs. Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc. Ord. Præd.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO
QUA
COMMENTUM ARISTÆÆ
DE
LXX. INTERPRETIBUS
CONFUTATUR

Digitized by Google

Digitized by Google

ALOYSIO VALENTIO GONZAGÆ

CAMERÆ APOSTOLICÆ PRÆSIDI

ROBERTUS DE SARNO

S. P. D.

DUBIUM mihi non eſt, quin miraturus ſis, Præſul Ampliſſime, quid ſit, cur ego, qui neque ingenio plurimum poſſum, nec ullo mutuo amicitiæ jure valeo, hoc tantulum Opuſculum ad Te mittere auderem. Sa-

Digitized by Google

ne quidem injuria expiarem id quidquid eſt criminis , cum omnem temeritatem meam , vel audaciam , ſi qua forte reprehendi poteſt , acceptam prorſus referam ſapientiſſimis colloquiis Cl. Viri P. Ignatii a Cruce . Hujus enim eloquentia , ac eruditio ſicuti ad metiendum ſcientiarum curriculum mihi præſto fuere , ita eadem pari benevolentia , & ſtudio pro me quõtidie excubant , aſſiduoque laborant viris præſtantiſſimis ad meam familiaritatem adjungendis . Teque unum (abſit verbis invidia) politiorum diſciplinarum , ac elegantiorum litterarum optimum cultorem adeo acerrimus rerum æſtimator prædicavit , ut hujus tanti Viri ſermones igniculos ſubjicerent , quos ullo pacto ferre non poteram . Sed dubitavi diu , auderem ne per epiſtolam adire ad Te , Vir Eruditiſſime , & amicitiam Tuam petere , quod adhuc ne facerem ſubruſticus quidam pudor me ſemper inhibuit . Tandem aliquando vicit virtus,

tus, quæ procul dubio amicitias conciliare ſolet, & conſervare: cumque ad humaniorum artium ſtudia accedat aliquod vinculum, tum illud neſcio quid jucundum exiſtit, ac ſingulare. En quibus de cauſis confidentior factus ad Te mittere non erubui has ingenioli mei primitias. Non me latet, tenue hoc & levidenſe eſſe munuſculum, ſed vetus eſt verbum εἰ πλίον, εἶχον, πλίον ἐδίδων. *Unum reficit, ac recreat, nimirum humanitas illa Tua longe lateque didita, qua vel ignoſcere poteris adoleſcentiæ meæ, vel ſcribentis infantiæ, ubicumque ex hiſtoriæ, vel antiquitatis ignoratione peccatum fuit. Nec cenſorium judicium tuum, Doctiſſime Vir, extimeſco; ſed potius vehementer exſpecto, ac in animum mihi induco fore, ut in poſterum, Te Duce, Te Auſpice, plura de ſeveriorum Muſarum penu depromere adnitar.*

Dabam Neapoli Tertio Idus Aprilis 1758.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
QUA COMMENTUM ARISTÆÆ DE LXX. INTERPRETIBUS
APERTISSIME CONFUTATUR

INTER antiqua, ac præclara ſacræ Critices monumenta, quorum in ſtudio Divinarum litterarum periti ſſimi Viri plurimum operæ, laboriſque conſumpſere, illud, quo hiſtoria Verſionis [1] τῶν LXX. Interpretum narratur, niſi mea quidem fallit opinio, difficile prorſus, ac multum, & ſæpe quæſitum ſemper exiſtimavi. Namque jam ab Ariſtobuli Philoſophi Peripatetici

ætate

1 Quamvis autem LXXII. Interpretes enumerentur, qui omni diligentia in hanc Scripturæ ſacræ Verſionem incubuerunt, vulgo tamen hæc Græca Verſio apud omnes nomine LXX. donatur.

Digitized by Google

ætate ad noſtra fere tempora apud Hiſtoricos commune dogma erat LXX. Viralem Bibliorum Tranſlationem ſub Ptolomeo Philadelpho Ægypti Rege conſilio, ac diligentia Demetrii Phalerei, ſicut Ariſtæas perhibet, fuiſſe elaboratam. At vero demum ſæculo XV, hic injectus eſt Viris eruditis ſcrupulus, ac dubitatio, genuinus ne eſſet Ariſtææ libellus, an adulterinus? Quo factum eſt, ut clariores poſtea e recentioribus criticis in unam coirent ſententiam, qua cenſuerunt, Ariſtæn, ſive Ariſtæam, ac ut aliis placet, Ariſtæum ratione ſcilicet pulcherrime excogitata Judæis æque, ac Ethnicis impoſuiſſe. Quin etiam, cum hiſtoriam ejuſdem Ariſtææ, qui Philadelpho coævus fuiſſe dicebatur, tanquam antiquitatis memoriam litteris mandatam Judæi, ac Ethnici ſervarent, minime mirum videri debet, cur veteres Eccleſiæ Patres, & Hiſtorici de ejus veritate ne tantulum quidem ſubdubitaverint. Mea igitur intereſt quam breviſſime graviſſimorum Virorum rationes exponere, quibus Ariſtææ textum nullius omnino fidei agnovere.

Ut

Ut vero recta, qua decet, methodo ſermo inſtituatur, totam hanc Diatribam duas tribuam in partes. Quarum priore puram, putamque hiſtoriam, ut ex fide, & narratione ipſius Ariſtææ elicitur, in medium proferam, & hic meum erit ſtatim præcipua percenſere capita magni nominis, memoriæque ſcriptorum, qui de una eademque verſione verba fecerunt. Hoc enim pacto uno veluti aſpectu, quod veritate nititur, apparere poteſt. Eo labore perfunctus, Ariſtææ epiſtolam fictam, & commentitiam fuiſſe oſtendam; atque, quantum conjectura aſſequi potui, denique ad extremum ſtatuam, quonam tempore antiquiſſima τῶν LXX. verſio viguerit, quæ inter alias Græcas Veteris Teſtamenti principem obtinuit locum [1]. Hiſce finibus conſtitutis jam ad rem ipſam, quæ pro critice ætatis hujus examinanda eſt diligenter, devenio.

Deme-

1 Ex hac enim, tanquam e regio flumine omnes verſiones antiquitus ab Eccleſia approbatæ (ſola excepta Syriaca) emanarunt, videlicet Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, & Latina Vetus ante Hieronymum, quam Patres, ac Theologi, tam Græci, quam Latini egregiis Comment. illuſtrarunt, ſuiſque in ſcriptis laudarunt.

Demetrius Phalereus Bibliothecæ Philadelphi Ægypti Regis Præfectus, conquiſitis undique libris eam uſque adeo locupletarat, ut pluſquam ducenta voluminum millia complecteretur. Quod cum ſciſcitanti Regi, præſente Ariſtæa, renunciaret, adjecit effecturum ſe, ut brevi ad quingenta millia librorum creſceret, eique ſignificavit, Judæorum leges dignas eſſe, quæ in ejus Bibliotheca reponerentur, dummodo in Græcum converti poſſent. Huic petitioni annuit Rex, & Andream Prætoriarum Cohortium Principem, ac Ariſtæam (nempe hunc ipſum, qui veluti teſtis oculatus, omnique exceptione major totius rei geſtæ hiſtoriam deſcripſit) Hieroſolymam miſit, datis ad Eleazarum ſummum Judæorum ſacerdotem epiſtolis, quibus cum maximam ſui benevolentiam declaravit, tum centum mille Judæos, qui ſub Ptolomeo Lago Alexandriam captivi ducti fuerant libertate donavit. Ac eo crevit magnifica Regis liberalitas, ut ſplendida addiderit munera, nimirum menſam ad oblationes, phialas aureas viginti, argenteas porro triginta, denique

centum

centum millia talenta [1] ad Sacros uſus data.

Interea temporis acceptis Eleazarus litteris, ut Regi morem gereret, & ut aliquam viciſſim grati animi ſignificationem ederet, continuo ſex ex ſingulis Tribubus ſenes honeſtate vitæ, & peritia legum præſtantes ad interpretandas Scripturas ſacras variis pellibus aureiſque characteribus conſcriptas miſit ad Regem.

Ut Interpretes Alexandriam pervenerunt, non modo perhumaniter, & ſummis honoribus excepti fuere, verum Rex ipſe vel ſumma religionis, ac pietatis erga ſacra volumina præ ſe tu-

1 Cic. 5. Tuſc. 91. *Legati ab Alexandro quinquaginta Xenocrati talenta attulerunt: quæ erat pecunia temporibus illis, Athenis præſertim, maxima*. Hinc Paulus Manutius in hiſtoria de Ptolomæo Rege ob intelligentiam 1. lib. Epiſt. fam. Ciceronis, ait: *Honor ille ſocietatis, & amicitiæ Pop. Rom. a Ptolomæo, ſicuti a reliquis quoque Regibus non mediocriter expetitus cauſſam attulit, ut anno proximo ab Ægyptiis ejiceretur: emit enim ſocietatem a Cæſare Conſule, ejuſq; genero Pompejo, ut Suetonius prodidit, ſex prope talentorum millibus: quæ ſunt nummo noſtro ſcutatorum tricies & ſexcenta millia, communi lingua tres milliones, & ſexcenta millia, quam pecuniam mutuatus a fœneratoribus, & amicis, quorum e numero fuit C. Rabirius Poſthumus, quem poſtea Cicero defendit, intolerabilia tributa, ut creditoribus ſatisfaceret, Ægyptiis impoſuit: ex quo, multitudine concitata, pulſus eſt*. Videſis quam mirum in modum excreſcit Regis liberalitas apud Ariſtæam.

lit argumenta, ut & illa pronus, ſeptieſque veneraretur, & mox ſtatum, ſolemnemque diem ob eorum adventum inſtitueret, qui quotannis coleretur ab omnibus. Immo, quandoquidem anniverſaria celebritate memoria victoriæ recurrebat, quam idem Ptolomæus ab Antigono reportaverat, præcepit, ut ſimul Interpretes Judæi ſecum ad Regiam menſam accumberent, illoſque inter epulas variis quæſtionibus tentavit, idemque ſeptem dierum ſpatio præſtitit munificentiſſimus Ptolomæus.

Hiſce diebus elapſis Senes in proximam inſulam Pharo delati ſunt a Demetrio, & in ſplendida domo locati, ubi quotidie omnibus procul arbitris ad nonam uſque horam Legis interpetrationi dabant operam: quam collatis exemplaribus, unaque congregati, ſpatio ſeptuaginta dierum abſolverunt. Demetrius totam interpretationem coram Judæis, qui in Ægypto erant, legit, qui ſummis eam celebrarunt laudibus, & diris devoverunt illos, qui huic verſioni aliquid addere, vel demere, vel quidpiam in ea immutare auderent. Tum demum Rex ſingulos

ſingulos Interpretes inclytis ſtolis, aureis talentis, aureoque cratere, aliiſque ſplendidis muneribus cumulavit. Ad Eleazarum vero miſit toros decem argenteis pedibus ſubnixos, talenta triginta, ſtolas decem, purpuram coronamque decentem, tunicas byſſinas centum, & phialas, & pelves, crateresque aureos ad libamina duos.

En Verſionis LXX. Interpretum Hiſtoria eruta ex Ariſtææ Epiſtola ad Philocratem, quæ hactenus exſtat, & Eruditorum teritur manibus. At quidnam de hoc monumento ſcribentes tradiderint veteres, recentioreſque tum Patres, cum Scriptores, libet exponere, quorum ſententias cum colligam, non tam eas numerare volo, quam expendere.

Primus, qui hac de Verſione verba fecit, Ariſtobolus fuit Philoſophus Peripateticus, qui anno Mundi termilleſimo nongenteſimo quinquageſimo quinto veneno periiſſe fertur. Hic commentariis in Pentateuchum aſſerere non dubitavit, Moyſis ſacrorum Librorum partem Alexandro Magno imperante græce converſam fuiſſe, integros vero Ptolomæi Philadelphi tempore, curante

Demetrio Phalereo . Sed ne diutius hic morer dum gravioribus inſiſtere eſt animus, mitto quæ obſervatu digna ſcripſere præ ceteris Elias Dupinus [1], Antonius Van Dale [2], & Riccardus Simonius [3]; Ex his enim colligi poteſt, quanti ſit æſtimanda Ariſtobuli auctoritas.

Philo deinde Alexandrinus, qui floruit An. Æræ Chriſtianæ quadrageſimo, dum narrat hiſtoriam dictæ Verſionis, quam ex Textu Chaldaico Græce adornatam fuiſſe ſcribit, hoc tantum in capite diſcrepat ab Ariſtæa : nam in reliquis ita cum eo congruit, ut in dubium revocari poſſit, Philo ne ab Ariſtæa, an larvatus Ariſtæas ex Philone ſuas fabellas deprompſerit; probabiliter tamen pluribus Scriptoribus videtur, ab Ariſtæa Philonem eas accepiſſe, & non, ut Van Dale [4] ſcribit, Ariſtæam a Philone.

Hic quoque e re erit ſubjicere Joſephum, qui Anno primo Imperii Caligulæ, Æræ vero Chri-

1 *In Prolegomenis ad Bibl. lib. I. cap. VI. §. III. pag. 180.*

2 *In Diſſertat. ſuper Ariſtaa cap. XXVIII.*

3 *Lib. II. hiſtor. Critica V. T. c. II. pag. 189.*

4 *Cap. I. pag. 4.*

Chriſtianæ trigeſimo ſeptimo natus eſt. Is litteris tradidit idipſum, quod in epiſtola Ariſtææ legimus, at elegantiorem in modum, uti notant Du Pinus [1], & Van Dale [2]. Idem omnino de Euſebio ſentiendum eſt, qui, ſicut ipſe teſtatur [3], ex Ariſtææ fonte totius hiſtoriæ notitiam hauſit.

Nec mihi prætereundæ ſunt Martyris Juſtini ambæ Apologiæ pro Chriſti Fidelibus habitæ, quarum in prima ab Ariſtæa diſſenſit, cum hiſtoriam enarrando ſtatuat, LXXII. Interpretes ſeptuaginta duabus cellulis incluſos non ſine divino afflatu Verſionem confeciſſe, earumque Cellularum rudera in Inſula Pharo ſe vidiſſe teſtetur: in altera vero labitur Auctor in gravem anachroniſmum. Ait quippe, Ptolomæum Ægyptiorum Regem, cum libros undique parandæ Bibliothecæ comportari ſatageret, Herodem Judæorum Regem rogaſſe, ut Prophetarum libros ad ſe mitteret, at cum hebraicos libros legere neutiquam poſſet, iterum

1 *Lib. I. cap. VI. §. II. pag. 174.*
2 *Cap. XIV. pag. 113.*
3 *Lib. 8. Præparationis cap. I.*

rum ab eodem Interpretes poſtulaſſe, qui hebraica Græco ſermone donarent. Hac in narratione, ut nemo non videt, non levis occurrit anachroniſmus, cum Herodes annis circiter ducentis quinquaginta ab interitu Ptolomæi Philadelphi cœperit in Judæa regnare. Quod attinet ad ſeptuagintaduas cellulas, Juſtino adhæſere Irenæus [1], Clemens Alexandrinus [2], Cyrillus Hieroſolymitanus [3]. Quamvis Epiphanius [4] in eandem deſcendit ſententiam, binos tamen in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe affirmat.

Quin & s. Hieronymus, qui Hebræis Græciſque litteris expolitus plurimos annos vertendis Sacris libris feliciter deſudavit, nec unquam incertis opinionibus falſo rumore ſparſis aurem accommodavit, ſed potius ſumma prudentia, & accuratiſſimo judicio verum a falſo ſecrevit: hic inquam Sanctus Doctor ita cellularum inventum irridet Præfat. in Pentateuchum: „ Neſcio quis primus Auctor ſeptua„ ginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo ex„ ſtru-

1 *Lib.* 3. *adverſus hæreſes.*
2 *Lib.I. Stromaton.*
3 *Catecheſi* 4.
4 *Lib. de ponderibus, & menſuris.*

„ ſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint: „ cum Ariſtæas ejuſdem Ptolomæi ὑπερασπι- „ στὴς, & multo poſt tempore Joſephus, ni- „ hil tale retulerint, ſed in una Baſilica con- „ gregatos contuliſſe ſcribant, non prophetaſ- „ ſe, aliud eſt enim Vatem, aliud eſſe Inter- „ pretem „. Hactenus Hieronymus. Verum perquirenti omnia ſatis veriſimile fiet, Juſtinum plus æquo credulum Hebræis narrantibus fidem præbuiſſe.

Age aliquando in ſcenam prodeant Thalmudici [1], qui neque cum Ariſtæa, neque inter ſe omnino conveniunt, cum alii a quinque tantum viris ſacra volumina interpretata fuiſſe ſcribant, alii vero a ſeptuagintaduobus.

Antequam hinc abeo, profecto volupe eſt animadvertere, talem inter Patres, ac Scriptores diſcrepantiam non minimum oſtendere mendacii, vel fallaciæ indicium. Nec mihi arridet, quod ajunt Du Pinus [2], & Van Dale [3], nimirum Epiphanium, Juſtinum, ceteroſque hactenus

1 *In Tractatu Sopherim c.I. §.7.8.* 3 *Cap. VI. pag.54.*
2 *Lib. I. cap. VI. §.II. pag.173.*

nus allatos Patres evolviſſe Ariſtææ libellum alium, ac diverſum a contextu illius, qui hodie exſtat. Communi enim ſenſu iſtæc opinio careat oportet. At quid quod utraque earum ſententiarum doctiſſimos habet Auctores? Patrum ne in ſententias ibimus, an potius ab iis cum ſagaciſſimis criticis manibus, pedibuſque, ut dicunt, diſcedemus? Opus quidem aleæ plenum! Urgent nos undequaque acerrimi adverſarii. Quid multa? Si ad concordiam res adduci poteſt, æquum eſt in præſenti nimiam credulitatem Patrum juſta excuſatione tegere. Et mea intereſt ductu, auſpiciiſque Eruditiſſimorum Virorum hanc hiſtoriam in veritatis lucem proferre; quod dum aggredior opus, ne ultro citroque evagetur oratio, ad alteram hujuſce Diſſertationis partem propero.

Ac primum cuilibet emunctæ naris viro ſubolet ingenium Ariſtææ, qui inconſulte Judæus Helleniſta manifeſto deprehenditur, quemadmodum ſcite obſervat Simonius [1], & mirum ubique ſtylum, quo poteſt tamen, & pro ſuo

1 *Lib. 2. cap. 2. pag. 187.*

ſuo captu affectat [1]. Id ſatis ſuperque eſt, quo ordinem narratæ rei dicamus tibicine ficulneo niti, ſicuti ex dicendis aperte conſtabit. Compertum enim eſt, exploratumque omnibus, Judæos natura, atque ingenio ad portentoſa, vel extraordinaria cum comminiſcenda, tum ſibi perſuadenda mirum in modum inclinare: quæ cum ita ſe habeant, cuinam vel oſcitanti, ubi oculos in Ariſtææ libellum conjecerit, continuo non occurrant commenta, prodigia, exaggerata verba, omnino ſtylus ubique Judaiſmum redolens? Sane quidem, quam magnificum, & glorioſum illud: „ Centum viginti „ millia Judæorum Rex libertate donavit, ad- „ dito munere viginti drachmarum in ſingu- „ los, quo damnum captivitatis reficeretur „. Quam pulcrum porro. „ Ille (Philadelphus) „ diu ſubſiſtens, cum adoratione fere ſepties „ ita eſt locutus. Hic autem dies in ſingulos

1 Eccui enim nota non ſunt illa Principis eloquentiæ 2. de Orat. 62. *Prima eſt hiſtoriæ lex, ne quid falſi dicere audeat: deinde, ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*. Et ibid. 36. *Hiſtoria teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis*.

„ annos per totam vitam meam erit mihi ſo-
„ lemnis, & magnus, quo vos ad me venire-
„ tis .... Repletus gaudio lacrimas eſ-
„ fundere cœpit „ . Quam ſumptuoſum, & quam munificum: „ Phialas aureas viginti, ar-
„ genteas triginta, centum millia talenta .....
„ toros decem argenteis pedibus ſuffultos, ta-
„ lenta triginta, ſtolas decem, purpuram, co-
„ ronamque decentem, tunicas byſſinas ad
„ centum, phiales, pelves, crateresque aureos
„ ad libamina duos „ . Illorum, qui hanc ineptam frequentemque locutionem ab ingenio Judaico oriri minime viderit, tantæ lippitudini ecquid collyrium illinam non reperio. Sed, ut ad rem ipſam propius accedamus, graviora argumenta afferre libet, quibus veritas magis, magiſque eluceat.

Et primum miror, cur Hiſtoricus Ethnicis partes dederit, quæ præcipuæ, ac propriæ Hebræorum erant. Ipſos enim apud Ariſtæam audis Hebraicæ legis, ac morum peritiſſimos, & a recta ſummi Dei cognitione neutiquam aberrantes. Huc pertinent illa verba, quibus Re-

Regem alloquitur Auctor hiſtoriæ : „ Præſer- „ tim cum idem Deus, qui ipſis (Judæis ſcilicet) „ legem dedit, Te, tuumque regnum fe- „ liciter gubernet „ . Nec longe ſecus Ptolomæus cum Interpretibus loquitur : „ Gratias „ ago vobis, Viri, ſed majores ei, qui vos mi- „ ſit, maximas vero Deo illi, cujus hæc ſunt „ oracula „ . Demum Demetrius ita Regi reſpondet : „ Lex iſta eſt ſacroſancta, & divinitus „ lata „ . Hæc verba Ethnicos dixiſſe quiſnam in animum ſibi inducet ?

Denique Ariſtæas, neque id monumentum, quibus modis litteris conſignaret, dum hiſtoriam ſcriberet, quidquam penſi habuit. Ei rei ſunt indicio Philadelphi epiſtolæ ad Eleazarum, ac Eleazari ad Philadelphum datæ : ſupplex quoque Phalerei libellus, quæ cuncta unius hominis eodem ſtylo exarantur. Quì fieri potuit, ut diverſa diverſorum hominum ſub acumen ejuſdem ſtyli ſubirent ? Præſertim cum ex archetypo excerpſiſſe ſe referat Ariſtæas. Neque heic præterire ſine piaculo poſſum, quædam in Demetrii ſupplici ad Regem libello le-

gi, quæ ab incorrupta Græci ſermonis integritate plurimum diſtant, & horridulam, incomptamque Judæi Helleniſtæ dictionem arguunt. At ecquem latet auctoritas Tullii, cui Demetrii oratio ornata, ac elegans viſa fuit? Hæc omnia nullo modo inter ſe cohærent.

Hiſce omnibus prorſus ſimile eſt, quod affirmat Hiſtoriæ Auctor, nimirum Demetrium, cum poteſtatem, & curam haberet, bibliothecam inſtruxiſſe, & ornaſſe; Atqui Hermippus Scriptor coævus apud Laertium ſcribit, Demetrium Philadelphi in iram, ac indignationem incurriſſe, cum Ptolomæum filium Lagi, & ejuſdem Philadelphi Patrem avertiſſet ab officio, quo jure ſtatuenda, & decernenda erat in ſui locum ſucceſſio Regni; ob eamque ipſam cauſam in carcerem conjectum, mox exilio affectum, morſu demum aſpidis periiſſe. Idem teſtantur Suidas [1], & Cicero [2], qui aſpide ad corpus admota vita privatum eſſe, tradit. Forſitan quiſpiam dixerit cum Briano Waltone

1 *In ſuo Lexic.*

2 *In Orat. xxxix. pro C. Rabirio Poſtum.*

ne [1] (qui majorem in modum Ariſtæam defendit) allatum argumentum ex Ariſtobuli ſententia omnino concidere. Hæc ſunt verba Ariſtobuli in Epiſtola [2] ad Ptolomæum Philometorem : „ Tota vero Legis interpetratio ſub „ Rege Philadelpho cognominato ab Avo tuo „ peracta eſt, Demetrio Phalereo magnum ſtu- „ dium adhibente, & totum negotium pro- „ movente „. Sed iſtæc Briani exceptio nihil roboris habet, propterea quia auctoritas Ariſtobuli, qui ad mentem perſonati Ariſtææ illud expreſſerat, rejicitur a Criticis, Eruditiſque, quorum firmiſſimas rationes, ſi modo exponerem, in longum ſane abirem.

Interea heic loci ægre mitterem, quæ de Jordane memoriæ prodidit Hiſtoricus noſter, dum ait, „ quod Jordanis circa regionem Pto- „ lomæorum in alium fluvium illabatur, & „ deinde in mare ingrediatur „. Falſum quidem clamant, qui Sacræ Geographiæ ſtudium primoribus labris attigerunt. Id ne latuiſſet quidem Ariſtæam, ſi & Judæus fuiſſet, & Eleazari

1 *In Appar. Biblic. proleg. 9. n. 4.* 2 *Euſeb. de Præpar. Evang. lib. 13.*

zari ſamiliaritate uſus eſſet, aut vero, ut omnia uno verbo complectar, confeciſſet iter illud, quod narrat.

Reſtat obſervatu digniſſimum, quod refert Ariſtæas de Navali victoria adverſus Antigonum. Quandoquidem Plutarchus [1] ſcribit, Antigonum in bello, quod cum Seleuco geſſerat, mortem obiiſſe. Ac Arrianus [2], & Appianus [3] teſtantur, prælium apud Phrygiæ oppidum eveniſſe. Perlegenti vero accuratiſſimam Chronologiam Jacobi Uſſerii (ævo æque, ac judicio ſpectatiſſimi) obverſatur id bellum contigiſſe octo, & viginti annis antequam Philadelphus Regni adminiſtrationem ſuſcepiſſet. Victoria igitur illa non ad Ptolomæum Philadelphum, uti conſtat ex Ariſtæa, ſed ad Ptolomæum filium Lagi, & Philadelphi Patrem referenda eſt. Quapropter prono alveo fluvit, ut aſſeramus, haud fuiſſe Ptolomæo Philadelpho coævum Ariſtæam, qui ita ſe jactat, at vero longe poſteriorem.

Atque ea, quæ hactenus de Ariſtææ hiſtoria ſunt diſputata, permagni intereſt cognoſcere,

1 *In Demetr.* 2 *De Reb. Alexand. lib.* 7. 3 *In Syriac. pag.*122.

re, ut veritas penitus introſpiciatur tandem aliquando illuſtrata doctiſſimorum virorum ſcriptis, ex quibus, ne imprudenter copia uterer, hæc ſeligere, ac expendere operæ pretium duxi. Ad hæc omnia poſſem & adnectere quam plurima alia (quæ libenti animo brevitatis gratia prætermitto) Ariſtæam legenti paſſim obvia; eaque univerſa neque ex ceteris veterum Hiſtoriarum monumentis, neque ex inſtitutis, moribuſque Gentium, ac temporibus Ptolomæi Philadelphi, & Demetrii Phalerei ſtare nullo modo poſſunt. Quo factum, ut Eruditiſſimi viri Ariſtææ narrationem haberent veluti commentum quoddam ad breve tempus duraturum [1]. Ita cenſuit primus ex omnibus Ludovicus Vives, quamvis non auderet affirmate aſſerere. Ait enim in adnotationibus ad Auguſtini libros de Civitate Dei [2] „ Circum„ fertur libellus ejus nomine de ſeptuaginta „ Interpretibus, confictus, ut puto, ab aliquo „ recentiore „. Aperte vero Joſephus Scaliger in Euſebianis animadverſionibus [3] adſtruit, libellum

1 *Opinionum enim commenta delet dies. Cic. 2. de Nat. 5.*

2 *Lib.* 18. *cap.* 24.

3 *Num. MDCCXXXIV. pag.*132.

bellum hunc ab aliquo Judæo Helleniſta conſcriptum fuiſſe. In eandem ſententiam ivere Elias Du Pinus [1], Riccardus Simonius [2], Humfredus Hodyſius [3], Antonius Van Dale [4], & Joannes Albertus Fabricius [5].

Ceterum non adhuc conſtat ex veterum Scriptorum monumentis ætas hujus perſonati Ariſtææ. Alexander Polyhiſtor, qui biſcentum annis poſt Philadelphum floruit, rerum hebraicarum Scriptorem quemdam Ariſtæam facit; Isne, an alius fuerit, ad huc ſub Judice lis eſt, ex ipſo Euſebio [6], qui Polyhiſtoris nobis locum ſervavit, obſcurum, atque incertum.

At enim quonam tempore LXX. Viralis Sacrorum Codicum Trãnſlatio fuerit conſcripta? Irenæus, Clemens Alexandrinus, & e recentioribus Voſſius, Petavius, & Ricciolius autumant, elaboratam eſſe Ptolomæi Lagi ætate: ſed hæc ſententia a Criticis tanquam commentitia, & nullius ponderis repudiatur; nam cum antiquorum Scriptorum auctoritate minime cohæret.

1 *In Proleg. ad Bibl. l. I. c.6. §.3.*
2 *Lib.2. hiſt. Critica V. T. cap. 2.*
3 *In Diſſert. contra Ariſtaam.*
4 *In Diſſert. ſuper Ariſtaa.*
5 *In Biblioth. Graca lib. 3. cap.12.*
6 *Lib. 9. de Prapar. Evang. c. 25.*

ret. Ariſtæas, Philo, Joſephus, Euſebius, & reliqui fere omnes ad Philadelphi tempora deveniunt. Verum tota horum argumentatio perſpicitur ſimul atque intellexerimus, quod huc uſque ediſſeruimus. Alii porro e recentioribus, ut Humfredus Hodyſius [1], & Antonius Van Dale [2], exiſtimant, eam elucubratam fuiſſe ſub Ptolomæo Philometore, qui adeo indulſit Judæis Alexandriæ degentibus, ut Templum ſibi in Campo Heliopolitano ædificarent: cumque Judæi Alexandrini, ceterique Helleniſtæ [3] hebraice neſcirent, neceſſe fuit ipſos græce legere Sacra volumina, ut cerемonias, rituſque Legis ſuæ in Templo peragerent. Iſtud eſt conjecturæ

E

1 *Pag.* 634.

2 *Cap. XXI. pag.* 167.

3 Miror maxime cur Salmaſius ceteroqui doctiſſimus neget ullam omnino eſſe Dialectum Helleniſtam, neque dum intelligo, quæ alia tantus Vir ſubtiliter diſputat. Hinc κριτικῶν concertationes contra ſententiam. In Act. Apoſtolor. cap. VI. verſ. 1. legitur: ἐγένετο γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους. Quoſnam Lucas Helleniſtas vocavit, lis eſt eruditis, dum alii Proſelytos interpretantur, alii vero Judæos ἀνέκαθεν (ab origine) ſed Græciſſantes inter Græcos commorantes, Græcam adeo linguam uſurpantes, ſed hebraiſmis ſcatentem, græcaque τῶν ό verſione in Synagogis utentes intelligunt. Sed de his alias peculiari diſſertatione cum mihi tempus, & otium erit,

jecturæ Hodiſianæ, ac Vandalianæ veluti fundamentum. Mihi vero (miſſis ſuper hac re Eruditorum ſententiis) magis arridet Du Pini [1] opinio, qui ſtatuit, revera ſub Philadelpho Verſionem aliquam fuiſſe confectam, tamen Ariſtææ hiſtoriam pro circumſtantiarum varietate omnino fabuloſam, pro ſubſtantia autem ſatis veriſimilem videri. Quandoquidem neque Ariſtæas, neque ceteri Judæi Alexandriæ commorantes totam fabulam ex integro excogitaſſent, niſi reapſe ſub Philadelpho aliqua verſio a Judæis jam Græciſſantibus adornata fuiſſet. Nam fabulæ, ut umbræ, aliqua veritate raro non nituntur, præſertim cum omnes undique veteres Scriptores commendent Summum Ptolomæorum Regum ſtudium, ac præcipue Philadelphi in conquirendis uſquequaque tot tantiſque voluminibus, quibus Regia Bibliotheca ditari poſſet; quid igitur cauſæ eſt, cur non credamus, aliquam Bibliorum Interpretationem ſub Philadelpho peractam fuiſſe, quam deinde Ariſtæas tot, ac tantis miraculis, & tam gravibus circumſtantiis illuſtraverit?

Sed

1 *In Proleg. ad Bibl. lib. I. cap. VI. §. III. pag.* 182.

Digitized by Google

Sed quì factum eſt, ut hæc Verſio nomen τῶν LXX. ſibi adſciverit? Id ortum fuiſſe vult Simonius [1] ab eo nimirum, quod adprobata fuit a Concilio, ſive Synedrio Hebræorum, quod conſtabat ex LXX. Senioribus. Verum mera eſt iſtæc conjectura, quam ſimili parique negotio confutaveris, quo illa facta eſt. Id ſatius probabile mihi videtur, nempe verſionem hanc nomen LXX. traxiſſe a libro Ariſtææ, cujus fide, & auctoritate innixi ſequioris ævi Scriptores, hanc præ ceteris Verſionibus nomine τῶν LXX. deſignarunt.

Atqui jam tot paginulas mihi procedere animadverti, quot Academicæ Diſſertationi deſtinari ſolent. Quare ne potiſſimum in Lectoris commoda peccem, haud diutius immorabor quæſtioni licet pulcerrimæ, quam ita enucleaſſe mihi videor, ut aliquem laborum fructum, præſertim diligentiæ conſcientia fretus, ferre queam. Quæ omnia, qualiacumque ſunt, rerum harum peritiſſimos æqui boni facturos haud temere confido, dum edere adnitar meliora.

DIS-

1 *Lib. 2. hiſt. Critica V. T. cap. 2. p.191.*

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE HÆRESI
PRÆDESTINATIANA

Digitized by Google

IGNATIO DE CRUCE

AUGUSTINENSI DISCALCEATO

ROBERTUS DE SARNO

S. P. D.

NON queo, nec lubet ſcribere ad Te, Vir eruditiſſime, quomodo ſim affectus, quum ſæpe me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi eſſe dolui. Quin & non dubito fore pleroſque, qui, cum aſſiduam tuam erga me voluntatem, ac beneficentiam perſpexerint, mi-

raturi

Digitized by Google

raturi ſint , quod aliquod aut grati animi , aut meæ in Te obſervantiæ teſtimonium non dum extiterit . Sed vacare culpa haud injuria putavi , cum moleſtum mihi eſſet non tam accuſari a Te officium meum , quam jucundum requiri . Etenim non alia re mihimet ipſe nunquam ſatisfacere intelligebam , niſi ad Te potiſſimum Virum numeris omnibus abſolutum litteras perſcriberem . Verum eædem ſolæ , omnique ſuppellectile exutæ iter facere verebantur , & ſaltem quodcumque de me experimentum quotidie exquirebant . Frontem igitur ubi perfricuerim , nulla mora facta mittere ad Te hunc privatum ingenii mei laborem non dubitavi . Non me fugit de re mea agi , cum Te , Vir Clar. , & doctrina , & omnigena eruditione præſtantiſſimum expaveſcerem . Sed addere haud piget , hujuſmodi argumentum dignum ſane eſſe tua elegantia , ac cenſura . Attamen tuum eſt totum , quod recte , & ex ſen-

Digitized by Google

ſententia proceſſit. Numquam enim nec locorum longinquitas, nec temporis diuturnitas igniculos illos, quos præſens ſubjiciebas, extinguere poterit: nec explicare poſſum quam ægre feram, & doleam, quod carui fructu jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ, a qua quotidie quidlibet accipere mihi cordi erat. Reliquum eſt, ut rogem Te, Vir Humaniſſime, atque obteſter, ut haſce laborum meorum primitias libenter accipias, ac impenſius foveas. Hoc a Te poſtulat, ac expectat, & vetus Patris mei neceſſitudo, qua uſus es plurimum, & ipſa amicitia noſtra, qua nihil eſt mihi jucundius, uberiuſque, quamque a me certo judicio ſuſceptam, uſque dum vivam conſervabo. Vale.

Dabam Neapoli Quarto Idus Aprilis 1758.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE HÆRESI
PRÆDESTINATIANA

HUMANAM libertatem cum Divina præſcientia, ac prædeſtinatione concordem reddere, ac conſociare adeo operoſum, & difficile viſum eſt veteribus Philoſophis, ut vel Deo futurorum præſcientiam ademerint, vel hominem libertate ſpoliaverint. Hinc Stoici [1],

1 Stoici ſummum ſupremumque numen æternum, independens, immenſum, omnes perfectiones poſſidens, admittunt; ſed adſtruunt hanc divinitatem eſſe Mundum, & appellant Fatum ſeriem effectuum, ac cauſſarum, item neceſſariam, & ineluctabilem ex voluntate Dei manantem, & hoc Fatum providentiam vocant. Idem Stoicorum Syſtema amplexus eſt impius Spinoza, at in eo ab ipſis differre videtur, quod nomen Dei non ſolum dedit univerſali naturæ,

Digitized by Google

cum ſatum traderent , liberum hominis arbitrium, quo nihil ipſi a Deo præſtabilius [1], de medio tollere non erubuere. Cicero, aliique futurorum, quæ vocant contingentia, Deum præſcientem omnino denegarunt. Apud Chriſtianos res nulla eſt, de qua tantopere æque veteres, ac recentiores inter ſe diſſenſerint; ita ut merito inter obſcura, & penitus abdita cæleſtis ſapientiæ arcana recenſenda videatur. Inter tot, ac tam gravia ſententiarum diſcrimina optimo Dei, qui omnia tum fortiter, cum ſuaviter regit, ac moderatur, conſilio, ac providentia factum eſt, ut e cælo delapſus s. Auguſtinus rem hanc adeo illuſtraret, ac perſpicuam redderet, ut nihil Eccleſiæ Catholicæ deſiderandum reliquerit.

Et

ræ, ſed etiam materiæ varie modificatæ, & dicit neceſſariam ſeriem effectuum, & cauſſarum haud emanare a voluntate Dei, uti Stoici, ſed ab ipſa natura Dei per eſſentialem emanationem. Cicero vero, dum contrarium ſenſit, in alium impium, atque ſacrilegum errorem irrepſit; negavit enim Deum præſcientiam futurorum habere, indeque, uti notat s. Auguſtinus lib. v. de Civ. Dei c. 9. Deum ipſum negavit: *Qui enim*, ſunt ejus verba, *non eſt præſcius omnium futurorum, non eſt utique Deus*.

1 Perbelle s. Bernardus lib. de gratia, & libero arbitrio: *Tolle liberum arbitrium, non eſt quod ſalvetur: tolle gratiam, non eſt unde ſalvetur*.

Et ſane neminem Theologorum latere arbitror, s. Auguſtinum præ ceteris Eccleſiæ Patribus, ac Doctoribus nulla temporis intercapedine verum fuiſſe Divinæ Gratiæ Achillem, ſtrenuiſſimumque aſſertorem, cujus auctoritas in ſolvendis Fidei controverſiis (maxime, quæ ad Divinam Gratiam ſpectant) ſummi ſemper fuit ponderis apud omnes quovis poſt eum ſæculo Catholicæ veritatis propugnatores. Quod utique manifeſtum fit ex illuſtribus encomiis, quibus ſtupendum ejus ingenium, doctrinam cæleſtem, & ſuavem eloquentiam celebrant, nedum Summi Pontifices, ſed & quotquot coævos habuit, aut ſucceſſores Eccleſiæ Patres, & Doctores. Vix enim unum invenies, qui totus in Sancti Auguſtini laudes non effervescat. Nihilominus non defuere e recentioribus Theologis, qui demonſtrare conati fuerint, tanti viri doctrinam, tanquam Eccleſiæ adverſam, implicite ſaltem, ut ita loquar, fuiſſe damnatam, idque contigiſſe aſſerunt in damnatione Prædeſtinatianorum, quibuſcum dicunt, & Auguſtini doctrinam fuiſſe proſcriptam.

Quæ

Quæ quam falſa, & abſurda ſint, noſtrum erit hic demonſtrare, idque clarius adparebit, dum adſeremus, nullibi unquam gentium Prædeſtinatianorum hanc hæreſim extitiſſe, at merum Semipelagianorum fuiſſe commentum ad enervandam, atque indirecte damnandam s. Auguſtini doctrinam; quemadmodum ſuſpicatur Epiſcopus Iprenſis lib. 8. hæreſis Pælagianæ, in quo cap. 23. ita ſcribit: „ Exiſtimo equi„ dem, numquam in rerum natura fuiſſe hære„ ſin Prædeſtinatianam, vel Hæreticos Prædeſti„ natianos: ſed e contrario doctrinam Catho„ licam, quam s. Auguſtinus, & Proſper do„ cuerunt, ſub nomine iſtius hæreſis calumnio„ ſe a Maſſilienſibus traductam eſſe. Itaque „ hæretici illi Prædeſtinatiani non fuerunt alii, „ quam s. Auguſtinus, Proſper, Hilarius, & „ quotquot eorum doctrinam ſequebantur, „ quos eo nomine indigitarunt Semipelagiani, „ atque inter hæreticos nominibus eorum non „ expreſſis collocarunt, quibus credula po„ ſteritas, quoſdam tanquam hæreticos Præ„ deſtinatianos averſata eſt „.

De

De hæreſi Prædeſtinatiana nonnulla ex pluribus Scriptoribus facili negotio colligi poſſunt. Proſper Tiro [1], Gennadius [2], Hincmarus Remenſis Epiſcopus [3], Sigebertus [4], Arnobius [5], Fauſtus Epiſcopus Eccleſiæ Regienſis [6], & e recentioribus Baronius Cardinalis [7], Sirmondus [8], Suarez [9], a Caſtro [10], & alii paſſim dicunt, hanc hæreſim reapſe circa annum CCCCXXIV. in Africa apud Monachos Adrumentinos ortam fuiſſe, inde anno CCCCXXIX. apud Gallos valuiſſe, dehinc Proſperi, ac Hilarii ope, & Gelaſii Papæ I. ad Galliarum Epiſcopos reſcripto dato cohibitam; at tandem a Gotheſcalco Monacho Orbacenſi anno DCCCXLVII. renovatam. Quæ omnia fictitia eſſe demonſtrant Janſenius Iprenſis Epiſcopus

1 In Chron. ad an. Honorii XXIII. & in lib. de Prædeſtin. c. 1.
2 In Catalogo de hæreſibus.
3 In Epiſt. ad Nicolaum PP. I. apud Flodoard. lib. 3. hiſt. Rhem. c. 4.
4 Ad ann. Chriſti 415.
5 In expoſitione Pſalmor.
6 In Præfatione operis de lib. arbitrio ad Leontium, & in epiſt. & palinodia Lucidi.
7 Ad ann. 490.
8 In Prædeſtinat. hiſtoria.
9 Tom. de grat. prolog. 5. cap. 5. n. 1.
10 Hæreſ. 1. Prædeſtinat.

pus [1], Uſſerius [2], Manguinus [3], Noriſius [4], Cabaſutius [5], Contenſonius [6], Bertus [7], & e noviſſimis illuſtriores, quibus noſtrum calculum addimus. Sed ut ordine ſermo-inſtituatur, Diſſertationem hanc tribus partibus abſolvemus, quarum prima Prædeſtinatorum ſententias aperiet; altera Auctores, qui de ipſis verba fecerunt, in medium proferet; tertia tandem argumenta, quibus evincitur Semipelagianos hujuſce fabulæ Auctores fuiſſe, ea qua fieri poteſt brevitate, exponet.

Prædeſtinatorum pſeudogmata ad tria capita revocari poſſe videntur, quemadmodum ex Gennadio, Sigeberto, Fauſto, aliiſque licet eruere. Nam quædam ad Dei voluntatem referuntur; quædam ad voluntatem Chriſti in ſubeunda morte pro hominum ſalute; alia tandem liberum hominis arbitrium reſpicere videntur. Ad primum quod attinet, hæc potiſſimum

1 De hæreſi Pelagiana lib. 8. tom. 1. c. 27.
2 In hiſt. Gotheſcal.
3 In Prædeſtinatianæ fabulæ confutatione.
4 Hiſtor. Pelagianæ lib. 2. c. 15.
5 In Conciliorum notitia.
6 In Theologia mentis, & cordis lib. 8.
7 De Theologicis Diſcipl. l. 6. c. 16.

ſimum Prædeſtinatianos ſenſiſſe nuper adlati Scriptores aſſerunt, nimirum divina voluntate æque prædeſtinatos vitæ, ac reprobos morti deſtinatos: Tum ex hominibus quoſdam ideo creatos eſſe, ut ſalutem conſequantur, alios vero, ut hominum multitudine mundus ornetur: Denique Deum fuiſſe in electorum prædeſtinatione, hominum acceptorem: Demum Deum omnes quidem vocare, at non omnes ut ſequantur.

Ad alterum deinde refertur quod noſtris prope temporibus Lutherus, Calvinus, & nonnulli alii Heterodoxi docuerunt, ſcilicet Chriſtum non pro omnibus hominibus ſubiiſſe mortem, ſed tantum pro illis, qui ſalvantur; Et hoc unum idemque enumerati Scriptores Prædeſtinatianis tribuunt.

Tandem quod attinet ad tertium, en præcipui errores Prædeſtinatorum. Primum, opera ſupernaturalia Divinæ Gratiæ omni ex parte tribuenda, voluntati vero humanæ nihil omnino dandum. Alterum, Prædeſtinatos, etiam invitos, & poſt multa mala opera, ad ſalutem

trahi; reprobos, etiam invitos, ac poſt nonnulla bona opera, ut pereant, impelli: Tertium, reprobis non auferri per baptiſma originale peccatum: Quartum demum, poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis fuiſſe extinctum.

Sane quidem iſta ex hiſtoriographis, qui de hæreſi Prædeſtinatiana mentionem fecerunt, ſeligere duxi. Sed errores iidem veri ne ſint, an conficti, mox revocabimus ad examen: cum recta ratio, ac ſtatutus ordo poſtulet, ut ad alteram partem deveniat oratio, ubi de illis Auctoribus brevitate, qua uti mihi mos eſt, agemus, qui de hac hæreſi verba fecere.

Proſper Tiro omnium primus eſt, qui de Hæreticis Prædeſtinatianis mentionem fecerit; ita enim ſcribit in Chronico ad ann. Honorii XXIII. „ Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Au„ guſtini libris male intellectis accepiſſe dici„ tur initium, his temporibus ſerpere exorſa „ eſt „, Quæ in cauſſa fuerunt, cur doctiſſimus Baronius, uti autumo, ad ann. ccccxc. num. 27. ſcripſerit: „ Poſt s. Auguſtini obitum,

„ tum, *inquit*, prodierunt quidam, qui ex „ ejus ſcriptis male perceptis complures invexerunt errores, quos s. Auguſtini nomine, „ & auctoritate defendere conabantur „. Sed qui Tiri, tum in omnibus imperitiam, tum craſſos errores cognitos habere velit, adeat Cardinalem Noriſium [1], qui hæc de ipſo ſcribit: „ Cum idem (Tiro) non tyro, ſed puer in „ Chronologia appareat, totus in hiſtoria hoſpes, ac omnium, quæ litteris prodidit, imperitiſſimus „.

Nec abſimilis eſt ſententia Gennadii, qui primus inter Scriptores Eccleſiaſticos ejuſdem hæreſeos meminit, & in Catalogo de hæreſibus Prædeſtinatorum errores referre non erubeſcit. Fidem vero Gennadio quiſnam præbuerit, quum aperte in Catalogo de Viris Illuſtribus Auguſtinum, & Proſperum maledictis laceſſit, ac tantopere Fauſtum Regienſem laudat: quippe qui fortaſſis, & ipſe Semipelagianæ hæreſeos labe infectus, uti recte ſuſpican-

G 2 tur

1 In hiſtor. Pelagiana lib. 2. c. 15.

Digitized by Google

tur Janſenius [1], & Noriſius [2]; hinc P. Martineus [3], nimis erga Gennadium æquus, ſcribit, „ librum Gennadii ab aliquo Pelagiano fuiſſe „ corruptum & depravatum „.

Obſervatu quoque digniſſima eſt epiſtola Hincmari Remenſis Archiepiſcopi ad Nicolaum I. ubi Prædeſtinatorum exponit errores, ac refert, Monachum Gotheſcalcum Prædeſtinatianæ hæreſeos nomine accuſatum, & convictum, a ſe, & a pluribus Galliæ Epiſcopis damnatum. At vero Hincmarum non niſi ea de cauſſa Gotheſcalchi doctrinam damnaſſe videtur, nimirum, ut & B. Auguſtini doctrinam ſimul configeret, recte id obſervante s. Remigio Epiſcopo Lugdunenſi [4]. Quatuor namque capitula non Synodi alicujus (ut animadvertit Noriſius [5]) ſed ipſiuſmet Hincmari verſutia omnino compilata fuere : quæ edito libello confutavit Epiſcopus ille Lugdunenſis in ejus principio ita ſcri-

1 De hæreſi Pelag. lib. 8. c. 25.

2 Lib. 2. hiſt. Pelag. c. 16. & in lib. 2. c. 11. obſervationum.

3 In adnotationibus operum s. Hieronymi tom. 5. pag. 64.

4 Lib. de ten. verit. Scriptur.

5 Synopſi. hiſt. Gotheſcalcanæ c. 1.

ſcribens: „ Graviter perpulſi , & confuſi ani-
„ mo vidimus in eis , & Scripturæ Sanctæ
„ certiſſimam veritatem, & beatiſſimorum Pa-
„ trum, & præcipue s. Auguſtini reverendam,
„ & in omni Eccleſia Catholica receptiſſimam
„ auctoritatem novo conatu, & auſu temera-
„ rio impugnari, & quantum in ipſis fuit im-
„ provide, atque inſolenter labefactari „.

Ejuſdem erroris verba facit in expoſitione Pſalterii Arnobius junior, qui ad ea tempora vixit. Hic in Pſalmum 50. ita ſcribit: „ Qui
„ naſcitur, ſententiam Adæ habet, peccatum
„ non habet „; & in Pſalmum 90. Gratiam interiorem ſupernaturalem prævenientem omnino negat, at ſolam Chriſti mortem, ejuſque exemplum noſtris actionibus præire docet: hæc ſunt ejus verba: „ Omnes antecedit gratia multi-
„ plici largitate diffuſa. Deſcendit de Cælo
„ Deus, homine non volente: Docuit exem-
„ plo, & verbo, homine non rogante: Signa
„ multa, & virtutes ad ſe manifeſtandum exer-
„ cuit, homine etiam prohibente: Mortali-
„ tatem noſtram ſuſcepit, homine ignoran-
„ te

„ te &c. „ Hinc prono alveo fluit, Arnobium Semipelagianiſmo nomen dediſſe, quamvis Voſſius [1], & P. Piccinardus ipſum ab ejuſmodi labe vindicare conati ſint.

Præterea ſequitur Sigebertus, qui in Chronico hæreſis Prædeſtinatianæ circa annum 415. originem deſignat. Haud pigeat ejus verba proferre: „ Hi dicebant, quod nec pie viventibus „ proſit bonorum operum labor, ſi a Deo ad „ mortem prædeſtinati fuerint: nec impiis obſit, quod improbi vivant, ſi a Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ aſſertio, & „ bonos a bonis, & malos ad mala provocabat.

Sed antequam ultra progrediar, æquum eſt neutiquam prætermittere Fauſtum Rejorum Epiſcopum, qui plura affert, quæ ad hanc hæreſim ſpectant, in præfatione librorum ſuorum DE LIBERO ARBITRIO ad Leontium Arelatenſem Antiſtitem, ac in Lucidi epiſtola, & palinodia; præcipue Synodos refert ad damnandam dictam hæreſim ab eodem Leontio congregatas. At Fauſtus dum errorem Prædeſtinatianum ab decretis

1 Lib. 1. hiſt. Pelag. c. 2.

cretis Synodorum Arelatenſis, & Lugdunenſis confutare adgreditur, aperte S. Auguſtini doctrinam impugnat; uti fuſius, ac uberius demonſtravit Henricus Cardinalis Noriſius [1] ita ſcribens: „ Etenim ſub prætextu Prædeſtinatianæ „ hæreſis confutandæ, duos de Gratia, & libe„ ro arbitrio libros ſcripturivit, in quibus ſub „ alieno corio Auguſtinum vapulavit „: & paulo poſt: „ Uno verbo totus Antiauguſtinia„ nus eſt „. Huc quoque faciunt, quæ habet Petavius lib. 1. de prædeſtinatione c. 2. pag. 345. „ Nam, inquit, & Auguſtini doctrinæ, quan„ tumlibet diſſimulare conetur, adverſatur in „ omnibus, & Semipelagiana decreta propa„ lam aſſeveravit. „ Tum fabuloſa Lucidi Preſbyteri palinodia eidem Fauſto debetur; fabuloſa, inquam, palinodia: nulla namque fides Fauſti dictis habenda eſt; etenim in ſuis de Gratia, & libero arbitrio libris aperte Semipelagianus arguitur, quemadmodum fuſe oſtendit Noriſius Cardinalis [2].

At omnium primum operæ pretium erit animadvertere,

1 Lib. 2. hiſt. Pelag. c. 15. pag. 437. 2 Lib. 2. hiſt. Pelag. c. 11.

Digitized by Google

madvertere, Prædeſtinatorum doctrinam in eos errores omnino quadrare, quos Maſſilienſes Monachi ex Auguſtini doctrina ab ipſis non bene intellecta hauſerunt, ut ſatis erudite advertenunt Cornelius Janſenius [1], Henricus Noriſius [2], & Natalis Alexander [3]. Hoc probe, ac diligenter perpenſo, haud obſcure detegitur, hanc hæreſim Semipelagianorum inventum fuiſſe, ea de cauſſa profecto excogitatum, nimirum, ut ſancti Auguſtini præclaram, quæ in Eccleſia vigebat, exiſtimationem, auctoritatemque minuerent, ac extenuarent. Etenim Semipelagiani, ut omnibus notum eſt, ad fraudes vel nimis calidi erant: Neque plurimum Scriptorum, qui de hac hæreſi ſcripſere, auctoritas magni facienda eſt; quum ex ipſis alii Semipelagianiſmo laborarint, uti Gennadius, Fauſtus, & Arnobius, alii eidem dumtaxat faverint errori, uti Hincmarus, aliique. Ad hæc Proſpero Tiro, ac Sigeberto nulla hac in re fides præbenda, eorum enim ſcripta erroribus ſcatentia certiores

nos

1 De hæreſi Pelag. lib. 8. c. 23.
2 In hiſt. Pelag. lib. 2. c. 15.
3 In hiſt. Eccleſ. ſæculi v. diſſ. v. propoſ. 3.

nos faciant, viros nullius eruditionis fuiſſe, imo ignaræ ſectatores plebis, quæ inconſulte, ac temere fabulas, ut veritates, amplectitur. Præterea illuſtre falſitatis indicium illud videtur, nimirum dictæ hæreſeos neque Auguſtinum meminiſſe, neque Proſperum, neque Hilarium: at meminiſſent, cum dictis Patribus coævi ſtatuantur Prædeſtinatiani. Tandem ante Tirum, Sigebertum, & Arnobium nemo e Catholicis Scriptoribus aliquid de hac hæreſi memoriæ tradidiſſe invenitur. Hæc generatim, ac veluti per compendioſam analyſim in proſpectu poſita ſatis ſuperque eſſe poſſent ut oſtendamus, hæreſim Prædeſtinatianam omnino fictitiam cenſendam eſſe. Sed ut res extra omnem dubitationis aleam ſtatuatur, tria potiſſimum adſtruere duco. Primum, dictam hæreſim a Monachis Adrumentinis ortum ſuum non agnoſcere. Alterum, falſum omnino eſſe eam apud Gallos anno 429. viguiſſe. Tertium tandem, a Gotheſcalco iterum excitatam haud fuiſſe.

Jacobus Sirmondus [1] vir doctiſſimus in ſa-

H cris

[1] In hiſt. Prædeſt. c. 1.

cris antiquitatibus , & profanis , Monachos Adrumentinos [1] Prædeſtinatianis hæreticis veluti ſignum

[1] 1 Adrumentum Civitas Africæ in Provincia Byzacena in ora maris ſita , colonia Phœnicum , peculiarem habebat Epiſcopum Carthaginenſi obnoxium . Apud Hiſtoricos varie nuncupatur , namque alii Adrume , nonnulli Adrumes , alii tandem Adrumentos vocant ; noſtris vero temporibus Mahometta , ſed ab Arabis Hamameta in Regno Tunetano poſita .

Per Adrumentinos (ſcribit P. Annatus Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Generalis Præpoſitus tom. 1. Sacræ Theologiæ lib. VII. ubi de præcipuis in Eccleſia ſubortis hæreſibus art. IV.) *intelliguntur hic a nobis nonnulli Byzacenæ Provinciæ , ſeu Regni Tunetenſis in Africa Adrumenti degentes Monachi ; unde Adrumentini ab Adrumento Cœnobii ſui loco , ſicut Caſſinenſes a Caſſino , Cluniacenſes a Cluniaco , & Ciſtercienſes a Ciſtercio vocati : qui viſa s. Auguſtini ad Sixtum Epiſtola , quæ eſt inter Auguſtinianas* 105. *turbati ſunt omnes , totumque Monaſterium duas in partes , & in contraria ſciſſum , pars una , duce Floro , dicebat , gratiam Dei ita a s. Auguſtino prædicari , ut tolleret libertatem , & correctionis neceſſitatem .* (Sed hæc minime fuit Flori ſententia , quod ex dicendis clarius apparebit .) *Pars altera pro arbitrii libertate ſtrenue pugnans , gratiæ negabat efficaciam ; quæ diſſidia audiens s. Auguſtinus , per Felicem , & Creſcentium , duos ejuſdem Monaſterii juvenes , ad Valentinum Monaſterii Præpoſitum duas ſcripſit epiſtolas , totidemque libros , unum nempe de gratia , & libero arbitrio , alterum de correctione , & gratia ; quibus per gratiam non tolli libertatem , nec correctionis neceſſitatem , manifeſte declarat , ſicque extinctus eſt diſſidentium partium calor , & finitus in Africa Adrumentinorum Monachorum error , pacatum Monaſterium , pacati Monachi , & veritati per Auguſtinum explicatæ acquievere omnes , ac proinde non contumaces , non rebelles , non hæretici dicendi , ſed inſtructi per Auguſtinum redeuntes ab errore Monachi .*

Digitized by Google

ſignum ſuſtuliſſe ſcribit. At hoc idem falſum eſſe arguitur ex D. Auguſtini doctrina, qui contra Hæreticos divinæ gratiæ neceſſitatem negantes Catholicam defendit ſententiam. Teſtatur enim in libro Retractationum ſecundo c. *66.* ſe librum ſcripſiſſe de gratia, & libero arbitrio: „ propter eos, qui quum defenditur „ Dei gratia, putantes negari liberum arbitri- „ um, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, „ ut negent Dei gratiam, aſſerentes, eam ſecun- „ dum merita noſtra dari „. Atqui de gratia, & libero arbitrio librum Auguſtinus conſcripſit: „ ad Monacos Adrumentinos, in quorum „ Monaſterio „, ut ipſemet inquit „, de hac „ re cæperat eſſe contentio. Igitur Adrumentini, qui gratiam negabant, eamque ob merita noſtra dari aſſerebant, non Prædeſtinatiani; ſed Semipelagiani potius fuiſſe dicendi ſunt.

Præterea, apparet ex fragmento Evodii a Sirmondo adlato, Adrumentinos Monachos reprehendiſſe S. Auguſtini de gratia doctrinam; De illis enim ſermonem habens Evodius ait: „ Legant ergo Sancti Dei majorum dicta, ſicut

„ jam dixi, qui habent divini muneris pium „ affectum, & quando non intelligunt, non ci„ to reprehendant, ſed orent, ut intelligant „: quod ipſi non fuiſſent facturi, ſi revera Prædeſtinatiani haberentur. Et ſane S. Auguſtini doctrinam ab Adrumentinis tanquam firmum ſuæ hæreſeos præſidium aucupari potuiſſe, unicuique perſpicuum profecto eſt: dum enim controverſia de Divina prædeſtinatione, Chriſti gratia, ac libero hominis arbitrio non divinæ revelationis, at humanæ rationis lumine intelligebant, Prædeſtinatiani errores ex Auguſtini doctrina conſequi, quinimo ejuſdem eſſe veluti conſectaria, manifeſto videbantur. Qui igitur S. Doctoris dogmata ſuis opinionibus affinia, quæ videbantur, reprehendiſſent? Num hæreticorum proprium non eſt ſummos viros quacumque poſſent ratione ad ſe trahere?

Denique Creſcentius, & Felix Monachi Adrumentini detulerunt ad Auguſtinum Florum ſuum fratrem, tanquam Prædeſtinatianum, qui revera Catholicam tenebat ſententiam; namque, uti ſcribit Valentinus Adrumentinorum Abbas

bas in epiſtola ad Auguſtinum, aſſerebat: „ non „ juxta merita noſtra dari donum pietatis, „ ſed per gratiam Redemptoris. „ Itaque ſi dicti Monachi Prædeſtinatiani fuiſſent, Florum tueri, ac patrocinari debuiſſent potius, quam reprehendere, & accuſare; cum Flori ſententia male intellecta Prædeſtinatorum errorem ſaperet magis, quam Semipelagianorum.

At Monachos Adrumentinos idem ſenſiſſe, ac Maſſilienſes, eruitur ex epiſtola D. Proſperi ad S. Auguſtinum, in qua afferens Maſſilienſium objecta contra S. Doctoris doctrinam prolata, ſcribit „: Evenit ex diſpoſitione miſeri„ cordiæ Dei, ut cum quoſdam intra Africam „ ſimilia moviſſent, librum de correptione, & „ gratia plenum divinæ auctoritatis emitte„ res „. Igitur ſi Adrumentini (ad quos Auguſtinus ſuum de correptione, & gratia librum tranſmiſit, uti idem S. Doctor in dicto libro clarius teſtatur), ſimilia moverunt in Africa, ac Maſſilienſes in Gallia, quis unquam dubitare poterit, illos non Prædeſtinatiane, ſed Semipelagiane ſenſiſſe?

Cla-

Clare itaque ex allatis colligi poſſe videtur, Adrumentinos Monachos haud quidem Prædeſtinatianos fuiſſe. Inquiet fortaſſe quiſpiam, Auguſtinum ad Valentinum eorum Abbatem ſcripſiſſe, aliquos Monachos negaſſe liberum arbitrium: „ Retulerunt, Monaſterium veſtrum non„ nulla diſſenſione turbatum, eo quod quidam „ in vobis ſic gratiam prædicent, ut negent „ hominis eſſe liberum arbitrium „. Jam vero ita ſcripſit S. Doctor deceptus ex Felicis, & Creſcentii falſa relatione, qui detulerant, Florum negaſſe liberum arbitrium; at hoc falſum erat, quemadmodum apparet ex ipſo Auguſtino, & etiam ex Valentino. Inquit enim Sanctus Doctor in libro de correptione, & gratia: „ Hanc Fidem, quæ ſine dubio vera, & „ Prophetica, & Apoſtolica Fides eſt, etiam in „ fratre noſtro Floro inveniſſe me gaudeo: un„ de hi potius corrigendi ſunt, qui eam non „ intelligebant „. Et Valentinus in epiſtola ad Auguſtinum ſcribit: „ Servi tui Flori fides eſt, „ Pater, non ſicut fratres illi locuti ſunt: in „ præſentiarum audierunt ab eo dictum non „ jux-

„ juxta merita noſtra dari donum pietatis,
„ ſed per gratiam Redemptoris „. Ex quibus manifeſte colligitur, Auguſtinum a Creſcentio, & Felice deceptum illa ſcripſiſſe: & vanam illam vocem Adrumentinorum fratrum initium dediſſe Prædeſtinatianæ hæreſi, quam ex fabuloſis eorum narrationibus ortam aſſero: ex illis enim inde auctis, ac ornatis Semipelagiani occaſionem nacti hanc futilem hæreſim ad infirmandam, & enervandam S. Auguſtini doctrinam excogitarunt, atque finxerunt.

En quibus ex cauſis adverſariorum argumenta de Monachis Adrumentinis prorſus corruere intelliget quiſquis ſanæ mentis fuerit. At quæſtio alia excutienda occurrit, utrum in Galliis ſub Cæleſtino I. dicta hæreſis ſuſcitatà fuerit, & quidem eo tempore, ut refert Hincmarus, quo Neſtoriana exorta eſt? Ita Auctores, quorum ſigna extulit Sirmondus, exiſtimant, idque tanquam omnino certum admittendum cenſent. Nonne, clamitant ipſi, hoc unum omnino teſtantur tum antiquiſſimus Anonymus Scriptor, auctor libelli cui titulus,

PRÆ-

PRÆDESTINATUS ; tum Hincmarus Remenſis in epiſtola ad Nicolaum I., tum denique Synodi Arelatenſis, & Lugdunenſis, ac Cæleſtinus Papa, cujus præcipue ope dicta hæreſis in Galliis damnata, & extincta fuit? Nonne hoc evidenter prodit Lucidus ille, qui in ſua palinodia ſe Prædeſtinatianæ hæreſi adhæſiſſe ultro fatetur? Illud denique & Proſper, & Hilarius innuunt, dum e Maſſilienſibus quam plures ita ſentire ſcribant, nimirum: „ Divina conſtitu-„ tione virtutes removeri, libertatem tolli, „ & ſub nomine Prædeſtinationis fatalem quam-„ dam neceſſitatem induci „ ; Nonne iſtæc ipſiſſima ſunt ſolius Prædeſtinatianæ hæreſeos Pſeudogmata? Ita rem conficit Sirmondus. Ad hæc quid nos? Omni, quo par eſt, obſequio, Sirmondum proſecuti noſtram ſententiam ingenue ſtatuimus, non ita ſe rem habere, ut ille arbitratur, aſſerentes. Nec in noſtræ cauſſæ patrocinium alios Auctores adferimus, quam eoſdem illos, nimirum Proſperum, & Hilarium, quos ſibi favere exiſtimat Vir doctiſſimus.

Et

Et ſane hanc hæreſim Galliam numquam invaſiſſe, illud præcipue oſtendit, nempe Sanctos Prudentium, & Remigium Gallicanos Epiſcopos adfirmaſſe ſe apud nullum præteriti ævi Scriptorem illam legiſſe; nec unum de ea verbum accepiſſe: Sic enim ſcribit Prudentius c. 4. in Joannem Erigenam, qui hujus hæreſis meminerat: „ Tertiam vero hæreſim, quam Pela„ gianis contrariam aſſeris, qua ita donum gra„ tiæ prædicetur, ut libertas arbitrii funditus „ auferatur, nec legimus, nec audivimus „. Idem dicit adverſus eumdem Erigenam c. 4. ſcribens Remigius: „ Quæ eſt iſta ſecunda hæ„ reſis tam incognita, tam inaudita, quæ li„ bero arbitrio denegato, ſolius gratiæ ſit præ„ dicatrix „? At qui fieri unquam potuit, ut hujuſcæ hæreſeos a Cœleſtino damnatæ, & a Proſpero, & Hilario acriter impugnatæ, Galliſque adeo moleſtæ, ita deletam fuiſſe memoriam, ut ne vola quidem, ac veſtigium temporibus Remigii, & Prudentii ſuperfuerit? præſertim cum iidem Epiſcopi hoc judicium dictæ hæreſeos dederint, nimirum tanquam figmentum ſeu

inventum ad inſimulandam S. Auguſtini doctrinam rejiciendum eſſe. Quorum Patrum auctoritas præferenda prorſus eſt obſcuræ famæ Anonymo PRÆDESTINATO, cujus libellum genuinum ne, an ſuppoſiticium, antiquum ne, an ſequioris ævi, primus in lucem edidit Sirmondus. Præterea Cœleſtinus, adnitentibus Proſpero, & Hilario non compreſſit Prædeſtinatianos, ſed illos (ut apparet ex ejuſdem epiſtola ad Gallos) „ qui nitebantur, etiam quieſcentium „ fratrum (hoc eſt Auguſtini) memoriam diſſi- „ pare, tanquam neceſſarium modum exceſſiſ- „ ſet, obloquebantur „; qui certe Prædeſtinatiani non erant, quum gloriarentur auctorem, & ducem ſe habere Auguſtinum. Idem ex D. Proſperi libro contra Collatorem confirmatur; in ipſo enim loquens de Cœleſtino, dicit: „ Per „ hunc Virum intra Gallias iſtis ipſis, qui s. me- „ moriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, ma- „ leloquentiæ eſt adepta libertas ..... eviden- „ ter pronuntians, quantum ſibi præſumptionis „ iſtius novitas diſpliceret, qua auderent qui- „ dam adverſus antiquos Magiſtros inſurgere.

Nec

Nec Proſper ſcripſit contra illos, qui ſuos errores Auguſtini nomine, & auctoritate defendebant, uti cenſent Baronius [1], & Sirmondus [2], verum contra illos, qui reprehendebant S. Doctoris ſcripta: VISUM EST, inquit D. Proſper reſponſione ad capitula Gallorum „, aut „ non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendere „; & in ſua epiſtola ad S. Auguſtinum illos, contra quos pugnabat, Pelagianæ pravitatis reliquias, nuncupat. Sed clarius probatur hoc ex D. Fulgentio [3], qui relatis quibuſdam Maſſilienſium objectis, ab ipſis ex Auguſtiniana doctrina erutis, ſubjungit: „ Cujus „ dicta, quia ipſe (ideſt Auguſtinus) celeri „ præventus eſt obitu, Proſper vir eruditus, „ & Sanctus recte defendit, & copioſo ſermo„ ne; Et paulo poſt: „ Huic itaque pravitati, „ quæ B. Auguſtini dictis non ex veritate, „ ſed ex livore objiciebatur, tali Proſper ſer„ mone reſpondit „.

Præterea id, quod a Sirmondo adſeritur, ni-

1 Ad ann. 490.
2 In hiſt. Prædeſtinatiana c. 2.
3 Lib. 1. ad Monimum c. 30.

Digitized by Google

mirum Maſſilienſes [1] Prædeſtinatiane ſenſiſſe, contrarium oſtendit Proſperi, Hilarii, ac Fulgentii auctoritas, quos ipſe ad ſuam ſententiam confirmandam adducit. Et hercle, capitales Prædeſtinatorum errores, quemadmodum ſcribunt Fauſtus, Gennadius, & alii nonnulli, ii profecto erant: Deum æque aliquos prædeſtinaſſe ad vitam, ac alios ad mortem; tum liberum hominis arbitrium poſt peccatum penitus deletum. Hinc Maſſilienſes ſi Prædeſtinatiani fuiſſent dictos errores profecto defendiſſent; at potius illos impugnaſſe perquam evidenter conſtat; namque

1 *Per Maſſilienſes, ſive Semipelagianos* (ſequitur idem doctiſſimus Annatus locó citato) *intelliguntur communiter nonnulli Maſſiliæ in Gallia degentes Presbyteri; unde Maſſilienſes a Maſſilia dicti, qui lecto hoc ſecundo de correctione, & gratia s. Auguſtini libro ad Adrumentinos Monachos directo, viſiſque his, quæ in eo de prædeſtinatione, & divinæ gratiæ efficacia prædicantur a s. Auguſtino, ſcandalizari, & per illud idem turbari cæpere, per quod Adrumentini fuere pacati Monachi; ſicque turbati varios in errores prolapſi, in quibus eum partim convenirent eum Pelagianis, & ab iiſdem partim differrent; ideo Semipelagiani fuere vocati. Conveniebant autem eum Pelagianis in hoc, quod dicerent, initium ſalutis noſtræ a ſolis pendere naturæ viribus. Ab iiſdem contra differebant, quod reliquum ſalutis noſtræ non a natura, ſed a gratia pendere tenerent; ideo, inquam, Semipelagiani, ſeu reliquiæ Pelagii fuere nuncupati, quamvis a s. Thoma 2.2.q.6. art. 5. ſint communi nomine Pelagiani vocati.*

que non alia de cauſſa Auguſtinianam doctrinam rejeciſſe, quam quod ex ipſa profluere videbantur, aperte inquiunt Proſper, Hilarius, ac Fulgentius. In epiſtola enim ad Rufinum ita loquitur Aquitanus Doctor „: Scripta ejus (Au„ guſtini nimirum) quibus error Pelagianorum „ impugnatur, infamant, dicentes eum libe„ rum arbitrium penitus ſubmovere, & ſub „ gratiæ nomine neceſſitatem prædicare fatalem „: & alio loco idem S. Doctor ſcribit, Maſſilienſes adfirmaſſe, Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione Sanctorum contrariam eſſe „ Pa„ trum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui „; at cur talem eam exiſtimarunt? quia cenſebant „ „ removeri omnem induſtriam, tollique virtu„ tes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat „ voluntates „. Et S. Fulgentius [1] „. Non autem „ ignoras, etiam præterito tempore illi lucu„ lentiſſimo S. Auguſtini operi, quod ſcripſit „ de prædeſtinatione ſanctorum, a quibusdam „ Gallis objectum, quod B. Auguſtinus in aſſer„ tione Prædeſtinationis Divinæ peccatores non „ ad

1 Lib. 1. ad Monimum c. 30.

„ ad ſolum prædeſtinatos diceret judicium , „ ſed etiam ad peccatum „ . Hilarius tandem de Maſſilienſium dictis ad Auguſtinum ſcribens , illos ait ex ejuſdem S. Doctoris ſententia de perſeverantia , qua adfirmabat liberum arbitrium ſine gratia perſeverare non poſſe , & cum hoc dono perſeverare , ita ut per illud perſeverantia ipſa donetur , magnum ſumpſiſſe ſcandalum , & ita fuiſſe commotos , ut etiam dicerent , quadam ex doctrina deſperationem hominibus exhiberi .

Quis igitur , cui nullo præjudicio affectus ineſt animus , non videt , Maſſilienſes Prædeſtinatianos non fuiſſe , atque adeo Prædeſtinatianos errores rejeciſſe ? Satis enim ſuperque conſtat , qua potiſſimum ex cauſſa Auguſtini ſcripta impugnare non erubuere .

Quod vero ad Synodos Arelatenſem , & Lugdunenſem adlatas a Fauſto pertinet , nihil inde evincitur ; nanque etiamſi concedamus , dicta Concilia revera Lugduni , Arelateque tanto , tamque celebri , ac magnifico Epiſcoporum concurſu celebrata fuiſſe , & in eis Prædeſtinatia-

na

na pſeudogmata damnata, (quamvis Iprenſis Epiſcopus cenſeat ipſos Patres ad Semipelagianiſmum inclinaſſe,) tamen ex hiſce omnibus nihil colligere poſſumus. Ergo Prædeſtinatiana hæreſis revera floruit, viguitque, uti effutiunt adverſarii? Haud ſane: etenim illud tantummodo hinc effluere videtur, nimirum pſeudogmata, Auguſtini Diſcipulis a Semipelagianis falſo impoſita, ibi proſcripta fuiſſe: quod ſi concedimus, nihil inde contra cauſſam, quam defendendam ſuſcepimus, conſequitur. At prorſus rejicienda hæc a Fauſto adlata Concilia, quum illorum acta nullo pacto extiterint, neque e coævis Scriptoribus, qui de iis mentionem fecerint, quidquam eruitur; ſed tantum leguntur in Fauſti ad Leontium, & ad Lucidum epiſtolis: Ergo Fauſtus illa ad conculcandam, ac inſimulandam doctrinam Auguſtini, & ad ſuos de libero arbitrio libros tuendos omnino finxit. Verum adverſarii contra eruditiſſimum Manguinum, cujus eſt hoc argumentum, reſcribere non dubitant, certum eſſe, Leontium Arelatenſem ex Hilarii Pp. decreto non-

nonnullas Synodos coegiſſe, quarum tamen nulla memoria extat; quid igitur mirum, ſi neque Synodorum de quibus agitur nemo meminerit? At ecquis non videt, ea profecto de cauſſa nullam cæterarum Synodorum a Scriptoribus mentionem fieri, quia nihil in ipſis memoria dignum actum fuerit? quod vero ad Synodos, de quibus agitur, attinet, illarum certe ſatis luculentam memoriam plurimi Auctores tradidiſſent poſteris, ſi unquam celebratæ fuiſſent, quum in iis nimis famoſam hæreſim damnatam velint, in quam ſummi viri Cœleſtinus Pontifex, Sancti Proſper, & Hilarius, aliique inſurrexerint; nec Lucidi palinodiæ ulla ratio habenda, quum enim eumdem Fauſtum auctorem, ne dicam impoſtorem, agnoſcat, & ipſa quoque tanquam ficta, & commentitia fabella omnino rejicienda eſt.

Tandem ſcribit Sirmondus, Proſperum, ac Hilarium in epiſtolis ad Auguſtinum adfirmaſſe, Prædeſtinatianam hæreſim in Maſſilienſibus inveniſſe: At vir doctiſſimus gravem in errorem delapſus eſt, namque illud, quod a Proſpero, &

& Hilario affertur, haud quidem doctrina dicenda eſt, quam Maſſilienſes profeſſi fuerint; ſed potius errores, quos ex Auguſtini ſcriptis in legendo parum cauti, vel potius parum in Sacrarum Scripturarum lectione verſati illi Monachi hauſerant, uti diligenter in dictorum Patrum opera curam navanti per ſe patet.

Quod tandem ad Gotheſcalcum attinet pauca ſcribam, namque uberius, ac fuſius eruditiſſimus Henricus Cardinalis Noriſius in Synopſi hiſtoriæ Gotheſcalcanæ hanc quæſtionem tractavit.

Præcipui igitur Gotheſcalchi [1] errores, ut

1 Gotheſcalcus natione Germanus, cognomento Fulgentius, Monachus fuit e Congregatione Orbacenſi s. Benedicti. Is Romam profectus ss. Apoſtolorum limina veneraturus, Veronæ apud Comitem Eberardum cum Nottingo ejus Civitatis Epiſcopo de Prædeſtinatione fortiter contendit. Nottingus Gotheſcalchi doctrinam haud rectam, nec omnino Catholicam judicans rem omnem ad Rabanum Moguntiæ Archiepiſcopum detulit. Rabanus, qui Auguſtini doctrinam ne a limine quidem ſalutaverat, dato libello, Gotheſcalcum confutare adgreditur: at ipſi ſatis plene fecit doctiſſimus Monachus. Nec tamen effugere potuit, quin ejus doctrina damnata fuerit, ipſo Gotheſcalco ad Hincmarum Remenſem ſuum Archiepiſcopum miſſo. At vero Monachus ab Hincmaro tum variis reſpergitur contumeliis, tum vel maxime, ut ſuam ipſemet pu-

Digitized by Google

apparet ex Hincmaro, hi profecto erant, nimirum aſſerere quoſdam ad æternam mortem prædeſtinatos eſſe: tum non omnes homines Deum velle ſalvos fieri, at vero tantum certum numerum Prædeſtinatorum, quos ſcilicet majori caritate dilexerit. At invictiſſimis argumentis demonſtratur, Gotheſcalcum ab omni prorſus hæreſeos labe immunem fuiſſe.

Antequam vero rem adgrediar, ut quod ſentio liberius afferam; mirum profecto illud mihi videtur, Sirmondum ſagacis ingenii virum, potius Hincmarum auctorem ſectari voluiſſe, quam S. Remigium, Nicolaum Papam, & Eccleſiæ Lugdunenſis, ac Valentinæ Synodi Patres, apud quos Gotheſcalcus, ut vir orthodoxus, ac fide, vitaque integerrimus bene audiit; præſertim quum Hincmarus hac in re nullam fidem mereatur: etenim eidem omnino tanquam hæreticus accuſandus erat Gotheſcalcus, ut ſuam in ipſum impietatem pallio religionis tegeret.

publice palam proſcriberet hæreſim, adigitur. Demum, uti fertur, tum in ipſo vitæ exitu abſolutione, & Viatico, tum poſt mortem Eccleſiæ ſepulturæ privilegio ab Hincmaro privatur.

geret . Et ſane Nicolaus Papa in epiſtola 43. Sueſſionenſ. appellat Gotheſcalcum „ virum „ Apoſtolicum , alium Athanaſium, conſcien- „ tia purum, converſatione innocentem , co- „ lumbam ſimplicitate, ac prudentia ſerpentis „ inſignem „ . Idem protulit judicium in epi- ſtola 40. ad Regem Carolum : atque adeo , quum rem plena , & accurata diſquiſitione in utramque partem excuſſiſſet , quid de Gotheſcalchi doctrina inde hauſerit, publice explicat in homilia habita Romæ die Nativitatis J. C. in qua Monachum maximis cumulat laudibus, & ſimul Hincmarum tanquam calumniatorem, atque improbum hominem accuſat . Quis credet, Romanum Pontificem tot , tamque præclaras laudes Gotheſcalco tribuere voluiſſe, ubi de ipſius doctrinæ integritate vel ſubdubitarit ? Præterea non ſolum Nicolaus Papa , veluti veram, & catholicam approbavit, ac extulit Gotheſcalchi doctrinam; verum S. Remigius, qui damnata inſatiabili crudelitate Hincmari in miſerum Monachum, ita ſcribit : „ Ac- „ cenſo coram ſe igne libellum , in quo ſen-

Digitized by Google

„ tentias Scripturarum, ſive Sanctorum Patrum „ collegerat, quas in Concilio offerret, coa- „ ctus eſt jam pene emoriens ſuis manibus in „ flammam projicere, atque incendio concre- „ mare „. Doctrina igitur Gotheſcalchi ſi in Sacrarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum auctoritate fixa & fundata eſt, cur hæretica dicenda? Si Remigius illius libellum divinarum Scripturarum, ac Eccleſiæ Patrum collectionem appellat, quonam pacto damnandus erit?

Denique totius Eccleſiæ Lugdunenſis judicio res confirmatur; namque lib. de 3. Epiſt. dictæ Eccleſiæ Patres Gotheſcalchi ſententiam de Divina Prædeſtinatione, Patrum ſenſui, ac Romanæ Eccleſiæ fidei concordem ſtatuunt; tum porro addunt: „ Et ideo redolemus, non hunc „ miſerabilem (Monachum Gotheſcalcum,) ſed „ Eccleſiaſticam veritatem eſſe damnatam „. Illud vero, quod Gotheſcalcus ſenſerit, Deum non velle omnes homines ſalvos fieri, ſed tantum Prædeſtinatos, uti Lugdunenſes Patres advertunt, hæreticum profecto exiſtimandum non eſt; Gotheſcalcus enim eo ſenſu accipiebat,

quo

quo Beatiſſimus Pater Auguſtinus textum Paulinum explicavit: quam interpretationem æque Romani Pontifices, Conciliorum Patres, ac Univerſalis Eccleſia ſemper tenuere. Unde ibidem concluditur ex Lugdunenſis Eccleſiæ judicio „: Jam non iſte (Gotheſcalcus,) qui errare „ putatur, ſed ille potius (Hincmarus,) cujus „ auctoritatem ſequitur, hæreticus eſſe judice„ tur „; & S. Remigius, uti notat Cardinalis Noriſius ex ejuſdem præfatione de tribus Epiſtolis, quas in Gotheſcalcum Hincmarus exaraverat, cum diligenter diſcuſſiſſet objectas Gotheſcalco calumnias „ non ex ſuo ſenſu, ſed ex „ Scripturarum Sanctarum immobili veritate, „ & beatiſſimorum Eccleſiæ Patrum fundatiſſi„ ma auctoritate, rejecit.

Præterea Valentianæ Synodi Patres, quum in controverſiæ cognitione accurate verſati fuiſſent, tum Gotheſcalchi doctrinam veram, atque catholicam declarant, tum Hincmari (quemadmodum idem in epiſtola 2. ad Regem Carolum teſtatur,) & ſui Cariſiaci [1] Conciliabuli

1 Cariſiacum, oppidulum Galliæ in Piccardia.

buli capitula reſpuit; ita namque cap. 3. loquitur: „ Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem; Et cap. 4. hæc habet: „ Nimium errorem etiam pro illis, qui a „ Mundi exordio uſque ad Paſſionem Domini „ in ſua impietate mortui, & æterna damnatione puniti ſunt, ſanguinem Chriſti effuſum „ eſſe „; hoc in errore Hincmarus verſabatur, uti ex ipſius epiſtola prima ad Regem Carolum manifeſto evincitur.

Tandem Gotheſcalcum hæreſeos nomine damnatum haud fuiſſe, colligitur ex ipſius Hincmari [1] epiſtola ad S. Prudentium Tricaſſinum Epiſcopum data, qua eum certiorem de Gotheſcalcano negotio facit; tum quidnam fuerit, cur ejus doctrina a Cariſiaco Concilio nigro theta proſcripta fuerit, exponit; deinde petit conſilium „ ſi in Cœna Domini, vel in Paſcha „ debeat eum admittere ad audiendum Sacrum „ officium, vel accipiendam communionem „. Ridicula ſane quæſtio? eccur enim S. Prudentii

1 Apud Flodoardum c. 21.

Digitized by Google

tii conſilium quærere ? ſi vere enim hæreticus fuiſſet Gotheſcalcus, & tamquam hæretica labe infectus, cur Hincmaro dubitandum, num communio cum Eccleſia Catholica ipſi eſſet concedenda ?

Sufficiant hæc de Hæreſi Prædeſtinatiana, & ut cuncta uno verbo abſolvam, ſatis, ſuperque eadem eſſe poſſunt pro inſtituti mei ratione, & pro tuenda veritate. Quædam hic habes ab aliis non obſervata, aliqua etiam, quæ occaſionem ſuppeditare poſſint uberiori meditationi. Qualiacumque vero ſint, Lector, nedum ignoſcas ætati meæ, verum, ut humanitatis memor ſis, etiam atque etiam rogo, atque obteſtor.

FINIS

CLA-

Digitized by Google



Digitized by Google

CLARISSIMO AC ERUDITISSIMO

ROBERTO DE SARNO

IGNATIUS A CRUCE

AUGUSTINENSIS DISCALCEATUS

S. P. D.

NOn eſt cur mireris, ROBERTE juvenis ornatiſſime, ſi binæ tuæ Diſſertationes, in quarum una ad cl. Virum de bonis literis ac literatis hominibus optime meritum ALOYSIUM VALENTIUM GONZAGAM jam ab elapſo Aprili miſſa Commentum Ariſteæ de LXX. Interpretibus confutatur; in altera vero mihi data agitur de Hæreſi Prædeſtinatiana, typo-

Digitized by Google

graphicis formis impreſſæ nunc in lucem prodeant. Quì enim te inſcio id præter expectationem factum ſit, tibi paucis aperiam, ne mihi ſuccenſeas, vel aliud arbitreris, quam quod revera eſt. Tam ipſe, quam ALOYSIVS noſter eas communicavimus cum amicis non modo ſapientia & eruditione præſtantibus; ſed etiam in ſacris Theologicis diſciplinis conſummatis; qui latini ſermonis nitorem, atque, elegantiam rerum copiam ac delectum, argumentorum vim methodumque, & quod mihi quam maxime adriſit, ingenii tui ἀκρίβεια ſuo calculo comprobantes, de utraque re nihil elegantius, nihil ſolidius, nihil eruditius dici unquam poſſe prædicarunt. Quamobrem brevi ad manus devenerunt amiciſſimi PETRI ANTONII SERASSII viri Reipub. litterariæ bono nati, qui æqui bonique conſulens, ut ſuus eſt mos (ſtrenuam enim navit operam magno ſapientum plauſu cum in emendandis, exornandis, evulgandisque melioris notæ Latinis atque Hetruſcis authoribus, tum vero etiam in promendis id genus Opuſculis auro contra carioribus, ne inedita vel deperdantur, vel in privatis ſcriptorum pluteis pulvere ac tineis conſumenda deliteſcant) ſtatim Romanis Pontificiis librariis NICOLAO, & MARCO PALEARINIS obtulit, ut ſuis nitidis ac elegantibus typis eas ipſi mandari ſtudioſe curarent. Conſilium SERASSII complures emunctæ naris viri laudarunt, ac ipſe præceteris, qui te, tuaque omnia quanti jure faciam jam multis abhinc annis optime noſti. Atque hæc cur tuæ Diſſertationes nunc Romæ edantur ratio. Profecto factum bene: cum enim ſat multa,

ta,

ta, eaque admodum diverſa de Hiſtoria LXX. Interpretum, ac Hæreſi Prædeſtinatianorum præcipue ab Criticis moroſioribus noſtri temporis dicta ſint, e re eſſe ſapienter a viris doctis judicatum eſt, ſi quis tum ſacris Scientiis imbutus, tum ſanioris Critices regulis excultus, in id prudentia duce, ac Religione incumberet, ut anilibus fabulis de medio ſublatis, & quæ fuſe prolata ſunt in unum veluti compendium redactis, de utroque argumento quid certo ſentiendum ſit eleganter aperiret. Egregie abs te id præſtitum eſt hiſce binis Diſſertationibus, quæ nunc in publicum Literatorum conſpectum conſulto emittuntur. Me non latet, ut primum eas communis quaſi juris factas videris, clamaturum continuo indignatione in me concitum, immaturos eſſe fœtus, nec dum ſatis limatas, atque adeo in hujus Sæculi faſtidioſi adſpectum tot tantiſque libris plerumque inutilibus undique redundantis non eſſe temere protrudendas, niſi iterum eæ ad incudem revocentur, & non in nonum tantum, ut ſapienter monet Horatius, ſed in vigeſimum & ultra annum premantur. Hæc & alia huiuſmodi te dicturum præſentio. At tune etiam veterem iſtam cantilenam hoc ævo ab iis pariter (quod maxime dolendum) qui ſua deliberato conſilio edunt, ad nauſeam uſque & ſtomachum millies repetitam, iterum iterumque obtundes? Quid hæc proderunt, rerum dulciſſime? Non enim de aliquo conqueri debes, ſed de ingenii tui ſingulari eruditione, quæ etiam quod extempore ob privatam ſtudiorum exercitationem ſcribit, illud ipſum nonniſi cedro di-

dignum, & poſterorum memoriæ ſacrandum concinnat. Neque mihi iraſcaris velim, ſed tuæ modeſtiæ, quæ tanta eſt, ut quamvis tua ſcripta paſſim a doctis, & æquis exiſtimatoribus magno cum plauſu excipiantur, tuque ab amicis indeſinenter, ut multa quæ adhuc penes te in tui muſæi forulis habes, publico non invideas, fere ad convicium uſque urgearis, ipſe tamen quaſi minime omnium tibi ſatisfaciens comiter eorum vota ac deſideria etiam atque etiam eludis ac differs. Patere igitur, humaniſſime Roberte, ut fauſto, felici, fortunatoque omine hæ binæ tuæ Diſſertationes edantur, legantur, laudentur. Non enim dubito, quin omni Literatorum ordini ſalivam moveant, brevi aliis ingenii tui operibus potiundi; ac tu ipſe cum eas prælo ſubjectas iterum legeris, quanti ſint exiſtimandæ, melius ſis judicaturus. Ego quidem quantum in me virium eſt, id omne in hanc rem conferam, & cum majora non poſſim, id ſaltem enitar, ut egregias tuas virtutes neque admirari, neque de iis, quoties aliqua offertur occaſio, cum quibus ſum veteri neceſſitudine conjunctus, prædicare unquam deſinam. Id adeo cum mea ipſe ſponte libens facio, tum eo libentius etiam, quod nihil arbitror poſſe a me tibi gratius accidere, ut parvum mei in te amoris pignus publice declarem. Macte igitur quo cœpiſti animi ardore in ſacra ſtudia, præſertim in Theologicas diſciplinas quibus delectaris, ſolerter incumbe. Te nobilem ac eximium adoleſcentem non equidem hortor, ſed ut ajunt currentem incito: id enim magnis laboribus ac vigiliis jam-

Digitized by Google

jamdiu ita facis egregie, ut omnes qui te norunt augurentur, te in magnam patriæ lucem, magnumque nomen aliquando iturum. Nec vero longe aliter res, quam futuram ſpe animoque omnes concipiunt, continget. Interim vale, deque me tibi omnia pollicere, quæ a gratiſſimo & amiciſſimo animo proficiſci poſſunt. Marchionem Patrem tuum MATTHÆUM omni morum elegantia, omnique laude Virum præſtantiſſimum, literarum ac literatorum patronum optimum meis verbis ſalutato. Tu autem me ut facis ſumma benevolentia amare perge; ipſe enim dabo operam quam maxime potero, ut pari ſtudio te jugiter proſequar.

Dabam Romæ IV. Id. Sextil. An. cIↃ.IↃccLVIII.

FINIS

Digitized by Google

EXCUDEBANT
NICOLAVS . ET . MARCVS . PALEARINI
IN . VRBE . TYPOGRAPHI . ET . BIBLIOPOLAE
AD . THEATRVM . POMPEII
VII. IDVS . SEPTEMBRIS . ANTE . DIEM . NATALEM
BEATAE . MARIAE . VIRGINIS
SEDENTE
CLEMENTE . XIII . P. O. M.
PONTIFICATVS . ANNO . PRIMO
AERAE . CHRISTIANAE
MDCCLVIII

401463041